



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## Universitätsbibliothek Paderborn

**Ven. Viri Thomæ Malleoli A Kempis, Canonici Regvlaris  
Ordinis D. Avgvstini. Opera Omnia**

**Thomas <von Kempen>**

**Dvaci, 1625**

De solitudine cordis, in qua supra se leuatur anima. 9

[urn:nbn:de:hbz:466:1-45790](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-45790)

antiquorum patrum. Perge si vis, perge mente ad tabernacula illorum, si forte inuenire possis abbatem Agathonem, qui iam tribus annis lapidem in ore, pro rigore silentij portauit. Et magnū illum Arsenium si inueneris, illo tacente loqui forsitan non audebis. Et alios per quā multos si quaeris, in cubiculis & in speculis terræ, solitarios & silentio deditos, potius reperies, quam foris vagantes. Propterea non illud segniter debes tenere, unde tam preciosa religionis studia possunt tibi oriri. Quia per solitudinem & silentium, multi sanctorū ad quietem cordis perducti sunt; & inibi multoties didicerunt, quicquid alijs salubriter tandem prædicauerunt. Sic Antonius primò latuit, post verò gloriosus & magnus monachorum pater apparuit. Sic Benedictus abbas; sic fecit in monasterio suo sanctus Gregorius; ita & consequenter deuotissimus Bernardus, cum multis alijs uiris perfectis. Et horum vitam si inspicias, inuenies, quid imitari debeas. Nam viuendi speculum, opere & uerbo facti sunt.

Patres Ere-  
mi prodigi-  
ose taci-  
turnitatis.

Sancti in  
solitudine  
didicerunt,  
quod alios  
post do-  
cuerunt.

## S E R M O IX.

*De solitudine cordis, in qua supra se leuatur anima.*

**I.** DE interiori solitudine, iā pauca uideamus. Hanc quærere & amare debet, quisquis uiri Deo cupit. Hæc mētis solitudo dicitur, & longè dignior & utilior corporis solitudine esse creditur. Hæc enim nisi menti inleuerit, corporis etiam solitudo multitudo fit. Hæc est, quæ totū interiorem hominem, ab omni seruat uitio purum; & contra suggestiones Satanæ, reddit cor valde securum. Nam quamuis diuersis cogitationibus mens ista concutitur, introire tamen hostis aut præualere ultra cōsensum, propter hanc solitudinem, non permittitur.

2. Laudabilis & prædicanda ista solitudo, quia magna mentis est fortitudo, qua cuncta superantur in hoc seculo. Hæc est, quæ in multitudine multa nescit: quia alibi occupari se potius debere dicit, cū citò pertranseat, quicquid hîc stare aut florere uidetur. Et ubi cuncta moribus suis inseruiunt, hæc uiri immobiliter quod tantum necessarium est, inhærere summopere querit. Qui hanc intrat solitudinem, quamuis foris laboret, eius tamen mens intus orare non cessat. Et si horam inde uidetur distrahi, mox in idipsum redire festinat: quia intus habet, qui quotidie clamat: Redi ad cor: ecce adsum: ecce uenio citò. En sto ante ostium, & pulso; aperi mihi soror mea, quia concupiui speciem tuam. Beata anima, quæ ad hanc uocem semper uigilat, quia super omnia bona præsentia constituitur.

3. Idcirco enim vox dilecti hanc inuitat ascendere, ne in finis rebus possit in debito amore retineri. Qui istis caducis tenetur, valde intus distrahitur; & ad solitudinem cordis, in qua Deus hominibus loquitur, tardius venit: ideoque visitatione eius multoties carebit.

4. Hanc discipuli illi in monte Thabor intrauerant, qui neminem nisi Iesum tantum, post mentis excessum videbant. In hanc quoque Moyses ascendit, quando solus in monte cum Deo, quasi vir cum amico suo loquebatur: vbi quadraginta diebus & quadraginta noctibus, sine humano solatio fuit. De qua, plura dicere quis poterit, nisi vberius expertus, & ab omni seculari strepitu alienus? Nam dulcius est, longeque nobilius, interiora bona experiri, quam inde quicquam definire, vel à quocunque iusto tantum labiorum vocibus percipere.

5. Qui tamen hec experiri desiderat, cor à face secularium desideriorum emundet, concupiscentias proprias mortificet, de terrenis consolari rebus metuat; sed in Domino Deo consolari & gaudere semper quærat. Et tunc cognoscere potest, quoniam suavis est Dominus; Beatus vir, qui sperat in eo. Tunc etiam in solitudine interiori libens commorabitur, & de bonis sempiternis frequenter meditabitur.

TOMI